

CONSILIUM AD EXSEQUENDAM CONSTITUTIONEM
DE SACRA LITURGIA

NOTITIAE

13

GIUGNO 1966

CITTA DEL VATICANO - PALAZZO SANTA MARTA

lingua vernacula in communi persolvere possunt quas, vi Constitutionum, etiam religiosi laici participare tenentur » (n. 4).

Duplex casus dari potest:

1. Quando religiosi laici expresse obligantur, vi Constitutionum, ad Officium divinum.

2. Cum aliquae Horae divini Officii locum tenent aliarum precum a Constitutionibus praescriptarum, quas religiosi laici participare debent.

Nam Constitutiones Familiarum religiosarum quasdam preces quandoque praescribunt, ab omnibus sodalibus, clericis et laicis, in communi recitandas, certis horis diei, v. g. mane, meridie, vespere. Nunc autem, in quibusdam illarum Communitatum, decreto superiorum, loco precum a Constitutionibus imperatarum, Laudes, Vesperae aut Completorium, tamquam preces matutinae et vespertinae pro omnibus praescribuntur. Hoc in casu si religiosi laici celebrationem communem participant, lingua vernacula adhiberi potest (cf. *Notitiae*, 2 [1966] 90 b). Semper tamen requiritur ut textus a competenti Auctoritate territoriali approbatus sit.

101. ESTNE ADHUC PONENDA CRUX IN ALTARE VERSUS POPULUM?

Resp. Difficultas movetur ex imaginibus propositis in *Notitiae* (2 [1966] 176) ad illustrandas quasdam ecclesias ad novas liturgiae pastoralis exigentias aptatas, in quibus crux super altare non apparet. Immo in quadam nota explicativa (p. 162) dicitur: « Unica magna crux in medio absidis totum Coetum liturgicum dominatur ».

Praescriptio Codicis Rubricarum, n. 527, per se adhuc viget: « Super altare adsit in medio Crux satis magna cum Crucifixo ». Quae crux, iuxta *Caeremoniale Episcoporum* (lib. I, c. 12, n. 11), « cum imagine Crucifixi, versa ad interiorem altaris faciem » esse debet.

Tamen *Ritus servandus* anni 1965 annis non praecipit sacerdotem debere oculos ad crucem elevare durante Missae celebratione. Insuper « crux et candelabra, quae pro singulis actionibus liturgicis in altare requiruntur, de iudicio Ordinarii loci, etiam extra ipsum poni possunt » (*Instructio*, n. 94).

Si altare ponitur versus populum, opportunius videtur hac facultate frui, secus aut tantum littera legis servatur et adhibetur crux ita parva ut aliquando fere invisibilis sit, aut crux impedimento est ut fideles ritus, praesertim ad elevationes et ad *per ipsum*, bene conspiciant.

Extra altare triplex datur possibilitas: ponendi crucem processionalem ante altare, facie versa ad celebrantem, quod non semper cum aliis elementis presbyterii bene cohaeret; adhibendi magnam crucem ex alto pendentem vel in pariete absidis positam. Neque, in ultimis duobus casibus necessaria est altera crux pro altari, sed sufficit unica magna crux, quae, in celebrationibus versus populum, non incensatur primo loco, sed cum sacerdos, altare circumiens, coram ipsa sistit ad alteram altaris faciem.

AD ORDINEM MISSAE

102. UTRUM CONVENIAT SACRAM COMMUNIONEM HABITUALITER « DE EODEM SACRIFICIO » SUMERE?

Resp. Iam Encyclica *Mediator Dei* laudat « qui, Sacro adstantes, hostias in eodem Sacrificio consecratis » accipiunt.

Constitutio de sacra Liturgia denuo valde commendat « illa perfectior Missae participatio qua fideles post Communionem sacerdotis, ex eodem sacrificio Corpus Dominicum sumunt » (art. 5). Quae adhortatio in *Ritu servando* accepta est: « valde commendatur ut hostiae pro fidelium communionem in ipsa Missa consecrentur » (n. 7).

Mens ergo Ecclesiae clara est, neque dubitari potest aptius veriusque locum pro fidelium communionem esse post sacerdotis communionem. Quando autem fit cum hostiis in ipsa Missa consecratis, sacra communicatio revera fit signum arctioris et intimioris participationis ad Sacrificium quod celebratur.

Aliquando tamen contra hanc praxim obiectiones moventur, praesertim quoad purificationem, numerum communicantium, renovationem sacrarum Specierum forte in tabernaculo exstantium, et similia. Ad haec respondendum videtur:

a) Pro communitate religiosa, vel quando participantium numerus fere semper idem est et facile agnoscitur, practice nulla est difficultas.

b) Sacerdos ipse potest particulas quae post communionem remanent, sumere, si paucae sunt (cfr. *Ritum servandum*, n. 82). Si autem multae sunt, prudenti sacerdotis iudicio adhiberi possunt in altera Missa, quin novae hostiae consecrentur.

Difficultates motae revera tam magnae non sunt ut, habitualiter, praesertim in determinatis coetibus, praxis ab Ecclesia commendata ad rem deduci non possit.